

momento, quàm ut secundo vel tertio; tanta item in pavimento, vel ponte, vel mensa soliditas desideratur, ut rem gravem impositam primo momento, quàm ut secundo sustentet, ne in aquam vel terram decidat.

6. Jam responderat Cartesius Resp. quint. ad test. Med. §. 9. *Cum negas nos continuo cause primæ influxu indigere, ut conservemur, negas rem quam Metaphysici omnes ut manifestam affirmant, sed de qua sæpe illiterati non cogitant, quia tantum ad causas secundum fieri, non autem secundum esse attendunt. Sic Architectus est causa domus, & pater filii secundum fieri tantum, ideoque cum opus absolutum est, potest absque istiusmodi causa remanere; sed sol est causa lucis ab ipso procedentis, & Deus est causa rerum creatarum non modo secundum fieri, sed etiam secundum esse, ideoque debet semper eodem modo influere in effectum, ut eundem conservet.*

7. *Hocque aperte demonstrata ex eo quod explicui de partium temporis independentia, quodque frustra conaris eludere proponendo necessitatem consecutionis quæ est inter partes temporis in abstracto considerati, de quo*
hic